



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

XXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

obesse potius, quàm prodesse notans, duobus acceptis equis, Patriam, unde venerat, repetijt. neque ipse *Guilielmus* Episcopatum constanter administravit, coactus, ad familiæ conservationem A. C. M. CCCXV. resignare, ductâ in uxorem *THEODORICI Archiepiscopi Coloniensis nepte Comitissa Techlenburgiensi*; ut jure hunc orbem nihil stabile possidere, sed continuo in orbem fluere affirmâris.

## XXI.

**D**Vobus hisce *fratribus Comitibus*, non in indecorè *Comitem & consanguineum ipsorum* adiungimus *THEODORICVM* ex nobilissimis *MÆRSÆ Dynastis, huius Nominis secundum, Episcopum Padibornensem 34. & Administratorem Halberstadiensem*, Principem vetustissimæ familiæ, multo nomine de Patria meritum, maximis animi & corporis talentis præditus, qualem multis seculis *in togâ & sago* illa *Diœcesis* non vidit, ad omnia vigilantē, non ignarū *plus vigilare esse plus vivere.* quâ tamen vigilantissimâ curâ paternâ cavere non potuit, quò minus alia atq; alia *Dei flagella*, populum eius afficerent: tanta enim, præter grassantes continuo morbos, tempe-

E statum



statum vis urbem viciniámque concussit, ut pessum itura omnia viderentur, quam *DEI manum* ( utpote prudens & in omnem illius nutum paratus Princeps ) patienter sustinuit, gnarus in *prodigiosis casibus & mutationibus*, non esse aliam rationem, quàm summam rationem, scilicet Deum ipsum: ac proinde longè prestantius esse pati acerba, pro, & à Deo, quàm beneficâ eius manu continuo frui. jmo hâc publica calamitate ab eodem ansam sibi ad bene de omnibus merendi amplissimam afferri; quâ etiam suis divite ac profusâ manu ( ut verus Patriæ pauperumque Pater ) egentibus subvenit, cumulatissimum à Deo præmium accepturus, eâque firmatus spe, anno M. CCCC. LXIII. mortalitatem exiit, & immortalitatem ( ut sperare fas est ) induit. Habuit *hic* in Cathedra *Monasteriensi* cognominem Successorem Antistitem HENRICVM Comitem de MÆRSA electum A. C. 1415. de quo cum nihil addant Chronologi, quàm laudatissimum vixisse, in laudibus eius meus quoque jure quiescit calamus.

XXII.

**H**is *Præsulibus* PADIBORNENSIBVSEIUSDEM  
Ecclesiæ Antistes THEODORVS Baro de  
Reck